



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

In idem Sermo LXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

impenderit tibi, qui propter te pœnam tantæ mortis excepit. Audis sepultum, ut scias mortem non fuisse perfundoriam, sed veracem. Mori nolle est timoris humani, diuinæ virtutis est surrexisse de morte, hic ergo non offendat mortis auditus, vbi resurrectionis gloria abscondit mortis iniuriam. *Tertia die resurrexit.* Quia hominis est quod moritur: Trinitatis est quod resurgit. *Ascendit in cœlos.* Hominem ferens illo, vbi semper mansit. *Sedet ad dexteram patris.* Ad dexteram sedet, quia habet deitas nil sini- strum. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Iudicabit viuos & mortuos, qua resurgent ad iudiciuni, qui non putantur esse post mortem, quos gentilitas existimat periisse cum sœculo. *Credo in Spiritum sanctum.* Ut in patre & filio, & Spiritu sancto vnam credas & intelligas esse deitatem. *Credo sanctam Ecclesiam.* Ut confitearis Ecclesiam Christi sponsam in perpetua Christi societate mansuram. *Credo remissionem peccatorum.* Carnis resurrectionem. Qui remissio neim peccatorum, qui carnis resurrectionem non credit, aufert veniam sibi, ipse subtrahit vitam. Quod audistis & credidistis, quod confessi estis, cor habeat, memoria teneat, charta nesciat, scriptor ignoret, ne sacramentum fidei diuulgetur in publicum, ne ad infidelem fidei deriuetur arcanum, Deus qui vobis sacramentum fidei & audire dedit, & credere, ipse vos æternam peruenire faciat ad salutem.

In idem Sermo LXII.

N Vtritor pius nisi totus fuerit redactus in paruum, nunquam parvulum perfectum perducit in virum: denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, sœlus seponit, infirmat viscera, abiicit vires, membra dissoluit, gressum tardat, gestit non ambulare,

bulare, sed repere: ridete simulat, timere singit, flere
mentitur, quia est in illo mendacium pietas, despici-
se prudentia est, est infirmitas virtus. Hoc geor bea-

I. Thes. 2. tum Paulum fecisse, cum dicit: Factus sum parvulus

in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos.
Sed forte aliquis stupeat, cum videat nutriculum
ista facientem: non irridet si est parens, si pater est
non miratur: hoc stultitiam dicere non potest, qui
scit amare. Vnde vos iam patres, iam fortis, iam
prudentes deprecor, ut me patianti parvulis do-
mini mei dependere debitæ nutritionis obsequia,
& blandimentis hodie magnis congrua, quam pe-
nitiae verba depromere: non quadrare, sed liqua-
re sermones: & eos adhuc teneris fauibus in modū

2. Cor. 3. lactis effundere, docente Apostolo, Lac vobis po-
tum dedi, non escam, mutare voces, amare varios af-
fectus, & quid plura? mente, corde, corpore, imbe-
cillis parvulorum mentibus occupari. Sed iam vos
Ecclesiæ pia germina prophetico sermone compello,

Venite, filij, audite me, & per meam vocem, ius-
sa veri genitoris audire: quia vos meo ore Deus

Psal. 33. vocat, Venite filij: quò venite? & ad quid? Timo-
rem Domini, inquit, docebo vos. Et quis veniat
ad timorem? ille qui vult vitam, ille qui cu-
pit videre dies bonos: ille qui vult bonum facere,
fugere malum: ille qui post carnis & spiritus confli-
ctum quietem diuinæ pacis desiderat obtainere. Ve-
nite filij, audite me: timorem Domini, inquit do-
cebo vos. Quis est homo qui vult vitam, & cupid
dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo, &
labia tua ne loquantur dolum. Sicut autem vitiant
crimina consciëtiā, sic dolus labia polluit, linguam

Rom. 10. maledicta contaminant: ac si Deo confiteri non
potest labiis inquinatus & lingua. Et quia corde
creditus

creditur ad iustitiam , ore confessio fit ad salutem,
 sanctificate corda, mundate labia , iustificate linguā,
 ut vox fidei baula de puro pectore toto sanctitatis
 procedat exemplo.Signate vos,placidum vel pactum,
 quod lucri spes venientis continet:vel futuri symbo-
 lum nuncupari contractu etiam docemur humano:
 quod tamen symbolum inter duos firmat semper ge-
 minata conscriptio , & in stipulatione cautum reddit
 humana cautela , ne cui surrepat , ne quem deci-
 piat perfidia contractibus semper inimica : sed hoc
 inter homines , inter quos fraus , aut à quo facta est,
 aut cui facta est semper lædit : inter Deum verò &
 homines symbolum fidei sola fide firmatur : non lit-
 teræ , sed spiritui creditur : & mandatur cordi,non
 chartæ : quia diuinum creditum humana non in-
 diget cautione. Deus facere fraudem nescit , pati
 non potest: quia non excluditur tempore , non æ-
 tate vincitur : occultatione non fallitur , videt ab-
 scondita , furata tenet , negata possidet. Deo salua
 est ratio sua semper , quia ille quod credidit ubi pe-
 reat non est : ac si homini , non Deo , neganti pe-
 rit , non perit fœneranti. Sed dicis , qui falli non
 potest , quid est quod exigit placitum ? quid sym-
 bolum quærit ? Quærit ille propter te : non propter
 se : non quia ille dubitat , sed ut tu credas : quærit
 symbolum,quia qui ad tuam sortem venit,ad tuum nō
 dignatur venire contractum : quærit symbolum ,
 quia qui cum totum semper ipse commodat , vult
 deberi : quærit symbolum , quia te modo non ad
 rem renocat , sed ad fidem , & per placitum præsens
 futurum pertrahit,& inuitat ad lucrum.Hoc Aposto-
 lis commemorat , cum dicit: Ex fide in fidem.Et ali-
 bi:Iustus ex fide viuit. Nemo ergo immemor symbo-
 li sit ; nemo initi cum Deo placiti sit oblitus : nemo

Rom. 1.Hab. 3.

cum fidem modo suscepit, rem requirat: cum ad spem venerit, quare non mox sperata percipiat, conquiratur: Audi Apostolum dicentem: Spe salui facti sumus: spes autem quae videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? si autem quod non vides mus speramus, per patientiam expectamus. Spes ad futura tendit, fides ad promissa transmittit: cum res venerint, aduenerint & promissa, spes desinat, fides cessat. Dulcis est Epistola, sed usque dum veniat ipse qui misit, necessarium chirographum, sed usque ad debiti redditionem: grati flores, sed usque dum veniatur ad poma, sed praesentia epistolam dedit, rumpit solutio cautionem, flores consumuntur a pomis: & ideo te superni patris filium, haeredem Dei, cohæredem Christi, participem regni cœlestis, confessorem diuini iudicis, cœli incolam, Paradisi possessorem, modo designatum te fide noueris: modo spe non re noueris te promotum. Et ideo suscipite fidem, tenete spem, dicite symbolum: ut ad rem & ad illa valeatis bona, quae prædiximus, peruenire. Signate vos. Hodie homo representata est Deo anima tua. *Credo in Deum.* Quæ diu ante dicebat Deum, sed nesciebat: vocabat Deum, sed ignorabat: ignorabat utique quem taliter per lapides & ligna requirebat: dicat ergo modo, dicat, *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Quæ diu cum videret lapides, cui crederet non videbat: sed est verè Deus, qui te præstuit non videndo videre, quem videndo diligenter fecerat

Ioan. 9. nō videre. Audi dicentem dominum: In iudiciū veni in hunc mundum, ut qui non vident videant: & videntes cœciant. *Credo in Deum Patrem.* Inest Deo pietas, est in Deo semper affectio, paternitas permanet apud illum: semper ergo filium fuisse credas: ne patrem semper non fuisse blasphemes. Sed dicis, si genuit, quomodo semper

semper habuit? quomodo genuit? Qui interrogas, fidē
denegas, quam fateris, credo dixisti: si credis, vnde
venit quomodo? quomodo sermo dubitantis est, non
credentis. Credo, dixisti, in Deum patrem omnipo-
tentem: si est quod nō potest, omnipotens non est: sed
tu illum genuisse ex aliquo filium putas, quem totum
fecisse confiteris ex nihilo: ex aliquo vtique si ex tem-
pore: quod si pater tempus non capit, filius initium
nescit. Sed quam miserum, vt tu illum facias tempo-
ralem, qui te præsticit sempiternum. Non ergo con-
ceptione temporum, non passione viscerum, sed pa-
ter filium generat nobis dum reuelat. *Et in Christum*
Iesum filium eius unicum Dominum nostrum. Atten-
de homo, qua réuerentia tibi fides insinuatur &
traditur: audi patrem, vt sentias, intelligas, credas,
non discutias filium: & quia est, confitearis: non vnde,
& quando, & quomodo sit, temerarius perscrutator
inquieras. Hinc est quod tibi cœlestis sermo, vt an-
nuntiet patrem, mox te ad Christum, ad Iesum, ad fi-
lium, ad unicum dominum nostrum tota mente trās-
mittit, vt cum videris eius, quæ sunt humana, te nec
assequi posse, nec estimare, nec capere, non atideas
eius quæ sunt diuina contingere. *Qui natus est de Spi-
ritu sancto ex Maria virgine.* Age homo, si tamen ho-
mo, progredere corde tuo, consurge mēte tua, dilatare
sensibus tuis, arripe ingenij tui acumina, excita scié-
tiæ tuæ vires: quicquid in te rationis est, exuscita,
examina, discute, perscrutare: & tunc stupenti mundo
solus aperi quid est, quod Spiritus generat: Virgo
concipit, Virgo parit, permanet Virgo post partum:
quemadmodum fit verbum caro; Deus homo, homo
transfertur in Deum: quemadmodum cunabula ca-
piunt, quem non capit cœlum: quemadmodum por-
tatur humeris, orbem qui sustinet totum: quare ipse

O 4 qui

qui fecit omnia, instituit vniuersa, cuncta moderatur,
de te nasci, à te regi voluit, instituit nutriti, ut te
parente viueret, cuius ante despexerat seruitutem:
& si hoc potueris de reposito diuinitatis attingere, &
professe de deitatis arcano, tunc interius accede, as-
cende altius, licentius intuere, & tunc patris tempo-
ra, initia filii, explorator nouus, singularis inuentor,
proditor diuinitatis expone: esto maior Isaia, qui di-

Esa. 53.

Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut
agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit
os suum, in humilitate iudicium eius ablatum est, ge-
nerationem eius quis enarrabit? Cuius: huius gene-
rationem, qui sicut ovis ad occisionem ductus est. Si
Christi humana generatio extitit, si diuina: & si ut
generatur, narrari nō potest, quae te homo vnda, qui te
fluctus, ad istud naufragiū pertulerūt? qui te Spiritus
per aera volutare impulit ad ruinam? Pater, Filius, &
Spirit⁹ sāctus, vna deitas, vna virtus, vna sēpiternitas,
maiestas vna: quicquid autem filius minoratur, acci-
pit, nescit, mei est corporis, non substantiæ suæ. Aut
miraris homo, quia patrem vocat in cœlo, qui ma-
trem habere dignatur in terra? Qui sub Pontio Pilato
crucifixus est & sepultus. Quare homo, qui in se æqua-
lis est patri, hoc solum quod in te minor esse voluit,
accusas? quem audis sedente Pilato astante, cognoscen-
te Pilato iudicari: quare hoc solum accipis addici
accusantibus criminosis? reo pronunciante damnati?
Sed ille de carne tua nasci voluit, tuis voluit vberi-
bus occupari, iacere in tuo pectore, tuis voluit hu-
meris baiulari, qui semper à te amari voluit, non ti-
meri. Requiere quid in lege mandauerit primum, &
quid in gratiam quæsierit, tunc videbis. Interrogatus
Dominus, sicut Euangelista dixit: quod esset manda-

Matt. 22. tum in lege primum, ait: Diliges Dominum Deum

tuum

num ex toto corde tuo , & ex tota anima tua , & ex tota mente tua:hinc est quod ad cor tuum venit,& ad mentem tuam,quia animo,corde,corpore à te ab initio diligi perquisuit.*Qui sub Pōtio Pilato crucifixus est & sepultus.*Hucusque Iudaeus, sequitur haereticus:exspectet ad priora illorum , nullus accedat,qui Christi pascitur & saginatur iniuriis:sed vos filioli audite,vt post passionem mortis , sepulturæ mætorem resurrectionis gaudiis effugietis. *Tertia die resurrexit.* Ut esset nostri corporis resurrectione,virtus , gratia , beneficium Trinitatis. *Ascendit in cœlos.* Per me , qui perse nunquam defuit cœlo. *Sedet ad dexteram patris.* Diuinæ virtutis ordine, non honoris humani. Diximus , sic si ius à dextris sedet , vt nunquam pater sedeat à sinistris. *Inde venturus est indicare viuos & mortuos.* Et quid debet iudicii mors :hinc est quod resurgit , vt debeat. *Credo in Spiritum sanctum.* Hunc in quem credit, negat : qui Spiritum sanctum negat. *In sanctam Ecclesiam.* Quia Ecclesia in Christo , & in Ecclesia Christus est : qui ergo Ecclesiam faterur , in Ecclesiā se confessus est credidisse. *Remissionem peccatorum.* Da tibi homo veniam tu credendo, qui ad omnia peccata dilapsus es desperando. *Carnis resurrectionem.*Hoc est totum fidei documentum:si carnē,quæ corrupta est,quæ putrefacta est,quæ periit,per Deum resurgere,repaginari,ridere posse credas, quem posse omnia,quando omnipotentem confessus es , tunc iurasti. *Vitam æternam.* Bene addidit vitam æternam , vt se resurrectū credaret, qui resurget per ipsum , qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat,nunc & semper,& per immortalia sœculorum,Amen.

O

5

DE